

Item, promittet et jurabit cardinalibus per eum creandis, existente numero XX cardinalium antiquorum, non apperit os in tribus causis, videlicet in creatione novorum cardinalium, alienatione seu infeudatione terrarum Ecclesiae, et in non observatione horum capitulorum.

52* Si vero, infra numerum XX cardinales existant antiquiores, tunc cardinales per eundem creandi, usque ad impletionem dicti numeri secundum tempus suae creationis inter ceteros antiquiores cardinales ad dicta suffragia admittantur, quibus tunc eis os apertum eis declarabit.

Item, quod pacem christianorum et Ecclesiae reformationes ac reductionem multarum exactionum, expeditionem quoque contra infideles quam plurimum convenit, generale Lateranense Concilium congregatum et inceptum continuare et executioni demandare promittat, et juret ac voveat illud nulla ratione vel suspendere, vel impedire, sed prosecui et non dissolvere illud, nec transferre nisi absolutis causis praeter quas congregatum fuit, et nisi de expressu consensu majoris partis Concilii, etiam si Summus Pontifex esset contrariae opinionis; quo casu teneatur transferri ad locum tutum.

Item, quod cardinales per eum creandi teneantur jurare ad huiusmodi capitula, aliter non admittantur ad participationem capelli neque ad alios honores et privilegia cardinalium.

Item, promittet et jurabit capitaneum generalem, confalonarium Ecclesiae et alios ministros et armorum ductores, quocumque nomine nuncupatos, castellanos praeficiendos in arce Sancti Angeli de Urbe et omnibus rebus Sanctae Romanae Ecclesiae debere facere homagium et juramentum sibi et Sacro Collegio, ita ut nihil prejudiciale contra Ecclesiam et Collegium aut aliquem ex praefectis publicorum in personas vel bonis, sine auctoritate sua et majoris partis Collegii facere possint et debeant, et quod facient juramentum praestari per eos ad cautionem de tenendis et reservandis rebus vacante sede ad instantiam Sacri Collegii.

Item, promittet et jurabit et vovebit statim post assumptionem Summi Pontificatus, omnes et singulares indulgentias revocare fratribus Sancti Francisci ordinis minoris pro fabrica Sancti Petri concessas sub quibuscumque verborum formis, eisque mandabit, sub poena excommunicationis latae, finem ne illis ulterius ullo modo utantur; et ut dicta fabrica, ut equum est, absolvatur, teneatur Pontifex Summus 50 milia florenorum auri pro primo anno exponere, et annis aliis viginti milia usque ad complementum;

de quibus expensis teneatur reddere rationem vel ostendere in fine cuiuslibet anni in suo sacro concistorio secreto.

Item, pro capella Sanctae Mariae de Loreto non det alicui secum remaneat in statu in quo est, nec possit dari in commendam alicui cardinali, vel episcopo vacantem restitui.

Item, quod capella et provisiones factae romanae per Sacrum Collegium juxta suas signaturas servari debeant per Romanum Pontificem in quantum fieri poterit vere non factae et super illis expedire litteras apostolicas vel expediri faciat.

Item, quod per datarium non fiant compositiones de rebus ecclesiasticis nisi juxta solitum probari in tempore Sixti quarti, aliter teneatur ad restitutionem de proprio; qui datarius, per biennium post depositionem officii, ut interim recognoscere possit si supra dicta capitula observaverit, non possit ad cardinalis dignitatem promoveri, et tamen, ad tollendam omnem non modo simoniae ..., sed etiam suspitionem, id promotus promittet et jurabit et vovebit nullam unquam permutationem facere officiorum romanae curiae cum beneficiis cuiuscumque etiam ecclesiis cardinalibus; quin imo si contingat ea beneficia ecclesiarum aut monasteria, officialibus quibus cumque romanae curiae conferri officia praedicta eis possidenda, tenenda seu quovismodo disponenda, relinquent incompatibilia saltem ad sex menses post eorum promotionem tenere et possidere, non tamen exercere teneantur.

Item, quod haec omnia et singula ratificabit et approbabit ante publicationem electionis suae mediante juramento, voto et promissione sua ac subscriptione in hanc formam, videlicet:

Ego N. electus in Summum Pontificem, praemissa omnia et singula promitto, voveo et juro observare et adimplere in omnibus et per omnia pure et simpliciter, bona fide, realiter et cum effectum, sub poena perjury, anatematis, a quibus non me ipsum absolvam nec absolutionem alicui committam, ita Deus me adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia, et similiter etiam aliis modis et formis infrascriptis.

Forma juramenti.

Non omnes et singuli Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales congregati Romae in palacio apostolico pro electione Summi Pontificis futuri in conclave ante altarem in quo missa communis celebrari consuevit, supra dicta capitula inter nos concorditer, unanimiter ordinata pro defensione Catholicae fidei et erectione